

omnes, ait: Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis. Laetis omnibus, Medis bellum infert. Astyages meriti sui in Harpagum oblitus, summam belli eidem committit; qui exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tradidit, regisque crudelitatem perfidia defectionis ulciscitur. Quod ubi Astyages audivit, contractis undique auxiliis, ipse in Persas proficiscitur: et repetito alacrius certamine, pugnantibus suis, partem exercitus a tergo ponit, et tergiversantes ferro agi in hostes jubet, ac denuntiat suis: Ni vincerent, non minus fortes etiam post terga inventuros, quam a frontibus viros: proinde videant, fugientibus haec, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui ejus accessit. Pulsa itaque cum Persarum acies paulatim cederet, matres et uxores eorum obviam occurrunt; orant, in praelium revertantur. Hac repressi oratione, in praelium redeunt: et facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. In eo praelio Astyages capitur: cui Cyrus nihil aliud, quam regnum abstulit; nepotemque in illo magis, quam victorem egit; eumque maximae genti Hyrcanorum praeposuit. Nam in Medos reverti ipse noluit. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt annos CCCL.

CROESUM VINCIT; ET LYDOS DEBELLAT, AC SUB JUGO ASTUTE RETINET.

CANDAULIS TRAGOEDIA. (c. 7.)

Initio regni, Cyrus Sybarem coeptorum socium, quem juxta nocturnum visum ergastulo liberaverat, comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis praeposuit, sororemque suam ei in matrimonium dedit. Sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro causa et origo fuit. Domitis demum plerisque, cum adversus Babylonios bellum gereret,